



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Regula LXVIII. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

possum, qui servitutem eundi vel agendi habet, *l. si stipulatus fuero 11. d. de verb. oblig.* Et qui aliàs iudex non est, ex delegatione iudicis ordinarii

rectè iudicat, *1. de offic. & pot. iud. deleg.* Verum hæc & similia, ex persona alterius fiunt, cui ea licent,

REGULA LXVIII.

Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.

Hæc Regula superiorem non malè sequitur. Illa negativa est, hæc affirmativa, in eodem argumenti genere. Quod spectat Titulus utriusque iuris de procuratoribus: *Uti procuratorum*, inquit J. C. *perquam necessarius est, ut qui rebus suis superesse vel nolunt, vel non possunt, saltem per alios possint vel agere vel conveniri, l. 1. Parag. penult. de procurator.* Item, in aliis obligationibus facti, receptum est, *per text. in l. Veteris 13. circa fin. de contrah. vel committ. stipul. l. Continuum 37. Parag. si ab eod. de verb. obligat.* Qui enim per alium facit, per seipsum facere videtur, *cap. Qui facit infr. eod. nisi ubi personæ industria electa est; puta si specialiter actum sit, ut quis suis operis factum præster, l. Inter artifices 3. d. de solut. aut personaliter negotium exequatur, cap. fin. & ibi laicus Ext. de offic. & pot. iud. deleg. vel pro forma introductum sit à lege, ut res non per alium, sed per seipsum explicetur, sicuti in recitatione sententiæ, quæ ab ipso iudice fa-*

*cienda est, l. 1, 2. & 3. C. de sentent. ex brevi c. v. cit. (exceptis tamen illustribus personis, quibus etiam id per alios licet, dist. loc. 2.) Item testamenti factio, quam per se præstare debet testator, non permittit voluntati alterius, l. Illa institutio 32. l. Si quis Sempronium 68. d. de hered. institut. vide quæ tradunt Dd. ad cap. Cum tibi 13. Ext. de testam. vel aliàs factum proprium requirit lex: ut in confessione peccatorum, quæ ab ipso poenitente coram Sacerdote explicanda est, *can. 88. Quam poenitet. de poenitent. dist. 1. in tutore, curatore & procuratore, qui antequam per alium in iudicio agere possunt, lis antè ab ipsis contestanda est, l. Neque 11. l. procuratoribus 22. cum l. seqq. C. de procuratorum criminales causa per se, non procuratorem agitantur, l. penult. Parag. 1. d. de publ. iudic. c. Veniens 15. Ext. de accusar. In summa ubi lex vel conventio partium proprium factum desiderat, cessat hæc Regula nostra.**

REGULA LXIX.

In malis promissis fidem non expedit observari.

Elegantè Isidorus. *In malis promissis, inquit, rescinde fidem: in turpi voto muta decretum; quod incausè vocasti, no facias: impenitentis est promissio, qua seelere adimpletur. reusus est in can. In mala xxii. quest. 4.* Quare ex huiusmodi promissione nulla nascitur obligatio, *l. Generaliter 16. d. de verb. oblig. ne quidem si iuramentum accesserit, cap. Non est obligatorium sup. eod.* Imò mala promissa à iure inter impossibilia recensentur. Nam, ut scitè ait Papinianus, *Quæ facta laudant pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, text. in l. filius 15. d. de condit. institut.* Quare verbum,

expedit, in regula nostra ad necessitatem trahendum est.

Neque his adversantur Tituli iuris, de dolo malo & de eo quod metus causa; quibus id quod dolo vel metu gestum est, ipso iure valet, sed ex edicto Prætoris rescinditur; ac dolus malus & metus per se turpes sunt. Quia responderet; etiam si per se turpes sint, non tamen res ipsa, quæ promittitur vel geritur per dolum vel per metum, in se turpis est. Quæ specie loquantur dicti tituli: Regula verò nostra exaudienda est de turpi: inquit enim, *in malis promissis; non verò in male promissis; quæ diversa sunt,*